



80 60d  
ff

C. 76

II 2 c. 32 4

2 N. 33.


*b*  
ORATIO  
HABITA A MAGNIFI-  
CO ET GENEROSO DOMINO, DN.  
IOHANNE CYRIACO,  
*LIBERO BARONE IN POLHAIM ET VVART-*  
*tenburg &c. cum Academiæ Rostochiensis Re-*  
*ctor publice renunciaretur. Postridie*  
*Lucæ Euangelistæ Anno*  
**1576.**



*ROSTOCHII*  
*Excudebat Iacobus Lucius*

*Anno 1576.*

ОЯТАЮ  
ХАБИА А. МАГНИФИ  
СО СТЕБНЕДОСО ОМНОГО  
САЛАТИН ОУЛЯСС  
САЛАТИН ОУЛЯСС  
САЛАТИН ОУЛЯСС  
САЛАТИН ОУЛЯСС  
САЛАТИН ОУЛЯСС  
САЛАТИН ОУЛЯСС



БОГУСЛАВІ  
Богуславі

IVXXI. Ф. 80. 9.

# ORATIO.

Vm Academias, in quibus, Doctrina  
de vero DEO, Leges vitæ gubernan-  
trices, Linguae & artes optimæ, fides  
liter traduntur, & mores docentium  
ac dissentientium honeste reguntur: iudi-  
cem, Lumen esse vitæ humanae præcipuum, & Semi-  
narium ac florem ecclesiæ Dei, & Reipublicæ præsi-  
dium ac decus singulare: primum Deo æterno, fonti  
omnis doctrinæ & sapientiae salutaris, gratias ago:  
quod doctrinarum lucem in Academij Germaniæ ac-  
cedit & seruat, & carissimorum parentum ac tuto-  
rum meorum mentes flexit: ut me, à teneris annis, dis-  
cere literas, & in pijs Academij doctrinam veræ reli-  
gionis, latinam ac Græcam linguam, historias, & ele-  
menta Iuris, cognoscere, & ad Rempublicam voluer-  
rint præparari. Clarissimis etiam & ornatissimis vi-  
ris, Senatoribus celebris huins Academiæ Rostochiens-  
sis, & præceptoribus meis reuerendis atq; carissimis,  
gratiam me debere confiteor, quòd eximia beneuolen-  
tia, & iudicio honorifico, Rectoris Academiæ munus,  
in hoc semestre, mihi detulerunt. Et quanquam mode-  
stiæ & verecundiæ leges me ab hoc titulo & officio  
fusciendo deterrent: (cùm mea imbecillitas & re-  
rum imperitia mihi non ignota sit:) tamen beneuolen-

tia Senatus Academiæ singulari, & iudicio de me can-  
dido, me delectari fateor: & quia literas, & Scholas,  
literarum ac virtutum officinas, & hanc in primis  
Academiam veneror & amo: & simili officij genere,  
paulò ante, Vitebergensi Academiæ gratificatus sum.  
Nunc quoq; (Quod Deo æterno, & redemptore nostro  
Iesu Christo, duce & auspice, felix & faustum sit;) ut  
obedientiam, Senatui Academiæ, cùm primum hoc ve-  
ni, solennib. verbis promissam, præstem: & me amare  
& venerari literas & præceptores meos ostendam: &  
meo exemplo, alios ad reuerentiam erga literas et præ-  
ceptores inuitem: non grauaté Magistratum Scholæ,  
mibi hoc tempore delatum, recipi: nihil dubitans, Se-  
natores Academiæ, in hac administratione communi-  
tatis Scholastice, tūm me, tūm eum, quem mibi colle-  
gam adiunixerunt: suo consilio, præsentia, opera, & au-  
thoritate fideliter & benignè adiuturos esse. Etsi au-  
tem scio, quæ fint multorum mei ordinis, & aliorum  
nobilium, de literis & Scholis iudicia cyclopica, qui ni-  
hil equestre, & viro nobilj dignum, nisi prorsus Æpus-  
tor, & centauricum sit, arbitrantur: me tamen, nec  
huius literariæ militiæ, in qua tot iam annos versatus  
sum, nec honoris Scholastici, nunc denuo à me suscepiti,  
pudet: quem multi Principes virj, non natalium excel-  
sitate solum, & dignitate illustrissimi: verùm etiam  
sapientia, virtute & autoritate, in toto imperio antea  
cellentes,

cellentes, à suis filijs principibus, sustineri in Academis publicis voluerunt; ut benevolentiam & studium erga Academias & doctrinas suum declararent. Imò Principes ac reges ipsi, diu iam in gubernatione Rei publicæ, & summo generis humani fastigio, versati; Scholas discentium & lectiones publicas, præsentia sua cohonestarunt: ut se honorifice de studijs doctrinarum sentire, eaq; amare & venerari, & Reipublicæ causa, magis amandas, & studiosius colendas esse literas, cæteris inferiorum ordinum hominibus ostenderent. Nec peregrinos, aut veteres principes, M. Antonium Imp. qui Hermogenem rhetorem, in Tarsensi Academia, orantem audiuit: aut Pompeium Magnum, Orientis vietorem, laureatos fasces suos, Possidonij Scholæ in Rhodo submittentem; Julium Cæsarem, post victoriam Pharsalicam Alexandriæ, philosophorum lectionibus auscultantem; aut recens, LVDOICVM XII. Gallorum regem, Papiæ, Philippi Decij Juris consulti auditorum, præsentia sua ornantem, commemorare opus est: cum domesticis Germanicorum principum exemplis abundemus. CAROLVM Magnum certè, (qui primus Imperium Romanum ad Germanos transtulit) Lutetiæ, examinibus etiam adolescentum quos stipendijs suis, in Academia illa recens à se constituta, peculiariter alebat, interfuisse legimus: & sua voce, diligentiam & progressus tenuioris fortunæ puerorum

rorum, laudasse: nobilium quorundam desidiam reprehendisse: & dignitates ecclesiasticas, aliaq[ue] præmia, ostendisse: illis potius studiosoribus, quam his seignioribus à se tributum iri. Nihil de CAROLO III. Imp. Sigismundi patre, dicam, qui Pragæ condita Academia, ipse disputationibus publicis sæpiissimè interfuit: Quæ cùm longius ut fit, protraherentur, & aulici de prandio non negligendo submonerent, facesse eos iubens; Hic inquit, cibus meus est, qui animum meum, sapientiæ & doctrinæ alimentis affatim pascit. Viderunt antè sesquiannum pleriq[ue] vestrum, in hoc ipso auditorio, Illustrissimum Principem, IOHANNEM ALBERTVM Ducem Megapolensem, à Generosissimis filijs suis, & alijs principibus adolescentibus comitatum: quos ad literarum & doctrinæ amorem & venerationem, suo exemplo inuitare, & clementiæ ac benignitatis erga hanc Academiam suæ, & iudicij de literis et præceptoribus honorifici, testimoniu[m] ostendere voluit. Sed hac apud viros intelligentes, non necessaria excusatione omissa, hortabor potius iuuentu[m] Scholasticam: quæ nunc officij ratione mihi alloquenda est: ac in primis natos in nobilibus familijs, vt studia doctrinarum & virtutum, quorum officinæ & gymnasia sunt Academiæ, diligenter colant: & morum pietate, modestia & omnibus verecundiæ & iustitiæ officijs, literas ornent.

Deum

Deum æternum patrem Domini nostri IESU  
Christi, supremum Ecclesiæ suæ, & piarum Academi-  
arum Rectorem, toto pectore oro, ut per hoc semestre,  
& deinceps, hanc Academiam, & nos singulos, cle-  
menter regat, protegat & seruet; & nunc dicentis  
mentem ac linguam gubernet.

**D**uo summa tuendæ Republicæ Instrumenta,  
& viri Principis, ac Republicæ gubernaculis  
destinati, præcipua præsidia & ornamenta  
sunt; LEGES & ARMÆ: quorum auxilijs & tu-  
tela, communitates hominum vniuersæ quibus regen-  
dis, nati in nobilibus familijs diuinitus præfecti sunt,  
præcipue continentur. Ut igitur Imperatoriam Ma-  
iestatem, non solum armis decoratam, verùm etiam  
legibus oportet esse armatam, secundum Iustinianum  
nostrum, vt vtrumq[ue] tempus, bellorum & pacis, rectè  
possit gubernarj: sic Imperatorum & Principum mi-  
nistros, populis gubernandis præfectos, qui ex Nobili-  
tate ferè diliguntur, non bellica solum virtute & ar-  
mis (quæ et si interdum necessaria, tamen ideo tantum  
capienda sunt, vt depulsis hostibus, & restituta pace,  
Homines Legibus & Iudicijs regi: & colligi Deo æ-  
terna ecclesia possit) verum etiam LEGVM diuina-  
rum & humanarum sapientia, quæ totius gubernatio-  
nis Rerum publicarum norma, & linguarum, artiumq[ue]  
optimas

optimarum doctrina, instructos esse oportet. Sicut Deus ipse, Nobilitati, regendis alijs hominibus destinatae, præcipit: ut Librum LEGIS diuinæ, continentem doctrinam veræ religionis, & normam consiliorum actionumq; in gubernatione Reipublicæ, & vitæ priuatæ, omnium assidue legant, meditentur, & in tota gubernatione, & omnibus officijs erga Deum & homines, velut Regulam, sequantur.

Non potest autem legi, nec intelligi liber Legis diuinæ, sine literarum & linguarum, quæ in Scholis traduntur, cognitione. Multò minus rectè iudicare Nobiles & principes, in gubernatione versantes, possunt, de vera religione, de Iusticia & Iure, & alijs grauissimis controvërsijs, quæ ad eorum cognitionem & iudicia deferuntur: cùm ipsi, scientia literarum, & doctrina Iuris diuini ac humani, non sunt instructi. Alioquin alienis tantum oculis videre, alienis auribus audire coguntur: & saepe turpiter falli, & tanquam bubali, naribus se trahi patiuntur.

Hanc necessitatem discendi artes, ad Rempub. bene gerendam necessarias, Plato significauit, cùm Republicas tum demum beatas fore dixit: Cum viri doctrina & sapiëtia exculti, gubernaculis præficeretur; vel principes & potentes Sapientiae & Virtutis studia colerent. Profectò enim, potentiam & autoritatem si ne sapientia, retinere nemo potest: neq; sapientia, sine litterarum

terarum & artium, in quibus versamur, cognitione,  
perfecta esse vlla potest.

Quare non minus ad Rempublicam pertinere hanc  
literariam, quam armatam militiam: & Gubernato-  
ri Reipub. non minus præsidij & veræ dignitatis do-  
ctrinæ studia, quam arma adferre: nec ullum orna-  
mentum Nobilitati honestius esse solida virtute &  
doctrina existimemus.

Vt enim homines duabus præcipue dotibus: Ra-  
tione, & Oratione, reliquis præstant animantibus: ita  
Nobiles & Principes; tum demum reliquæ multitu-  
dini hominum plebeiæ, verè antecellunt: cum non lux-  
xu solum, & fastu, sed sapientia & doctrina, & di-  
cendi ac faciendi virtute, reliquo mortalium generi  
præeunt & præludent. Sicut in prima illa, & aurea  
ætate mundi, in qua non voluptates & opes, sed sapi-  
entiae & doctrinæ bona, præcipue expetita & culta  
sunt; maxime generosum et nobile iudicatum est, non  
luxus, & opum ostentatione, sed scientia & artibus  
reliquæ plebeculæ antecellere.

Proximis seculis multæ gentes, & Germani in-  
primis nostri, bellicæ tantum militiæ studia sectati, vt  
Licinius olim, literas pestem ac virus Rēpublicæ vo-  
cabat, dedecus & probrum sibi ac suis familyjs esse iu-  
dicarunt, si quid bonarum literarum studio temporis  
tribuerent. Hinc Gigantes, cœlo bellum inferentes,

B

C

¶ Centauri, ac Cyclopes, & reliqua Titanum soboles  
progenerantur, qui nihil nobile esse censem, nisi idem  
sit à Mūsis & Gratijs alienissimum. Sed horum  
barbariem & feritatem Cyclopicam, sanorum & sa-  
pientum iudicia, in omnibus gentibus, iam dudum, re-  
futant. Nunquam enim Nobiles, non Itali solum et  
Galli, sed Poloni etiam & Pannones, eruditæ sapien-  
tiæ & eloquentiæ latine, adeò, ut nunc sunt, studiosi  
antea fuerunt. In Germania etiam, non inferioris so-  
lum homines ordinis Nobilitas sanior, sed etiam Prin-  
cipes ferè omnes, qui nunc Rempub. administrant, sa-  
pienti parentum consilio, in literis & linguis eruditis,  
accuratè instituti sunt. Verè enim Vegetius de re mi-  
litari inquit: Nullus est, quem oportet vel plura, vel  
meliora scire, quam Principem: cuius doctrina debet  
omnibus prodeesse subiectis.

Quanta sapientissimi & optimi Cæsar is FER-  
DINANDI Archiducis Austriæ, diligentia &  
cura paterna, MAXÆMILIANVS Impera-  
tor, & dominus meus clementissimus, (quiq; fidem  
suam, cum per baptismum CHRISTO initiarer,  
pro me interposuit) in studijs literarum & linguarum  
à prima ætate eruditus sit: carissimum parentem me-  
um MAXÆMYLIANVM, qui cum Imp.  
Maxæmyliano à teneris annis educatus; & in linguis  
artibusq; ingenuis simul institutus est, sepe commemo-  
rare,

rare, & illius exemplo, me ad virtutis et doctrinarum  
amorem cohortari, memini. Ferdinandi Imperato-  
ris studia, ERA SMVS Roterodamus aliquam-  
diu rexit, cuius de Institutione Principis, libellum, ve-  
re aureolum, penè ad verbum edidicit, et aliquoties sua  
voce Erasmo gratias egit, quòd absolutū illud Christia-  
ni principis exemplar, omnia bonorum principum offi-  
cia, & malorum flagitia liberrimè exprimens, ingenij  
sui penicillo depinxisset.

Toto etiam vitæ suæ tempore, latinæ linguae usu,  
magis, quam Germanicæ aut Hispánicæ delectatus  
est, & in deliberationibus sæpè ex officijs Ciceronis, et  
Erasmi, de institutione principis libello, sententias inte-  
gras, in prima ætate sibi instillatas, recitauit, et Nobis-  
titatem Austriacam & Stiriacam, negligentius colen-  
tem literas eruditas, sua cohortatione & exemplo, ad  
amorem & studia doctrinarum ardenter complecten-  
da, excitauit. Familiarissimus illi à primo gubernatio-  
nis initio, propter virtutem, fidem ac grauitatem exi-  
miam, IOHANNES HOFMANNUS, Baro Stirius  
fuit, qui etsi latinè non loquebatur, tamen autoritate et  
exemplo Ferdinandi motus, generosissimos filios: IO-  
HANNEM FRIDERICUM & FERDinandū, accurate  
in latina lingua, historijs, Philosophia legum, et pietate  
Christianæ, erudiri curauit. Qui fratres, iam Austriæ et  
Stiriæ Archimarscalci, & prætorio Stiriæ præfecti,

B 2 pros

propter virtutem, doctrinam, eloquentiam, & in magnis rebus tractandis industriam & fidem, in summa autoritate sunt, & existimatione.

Multis in hoc ipso confessu, familiariter nota est HENRICI Baronis à Starhemberg eruditio, singulari & planè Heroica naturæ bonitate, prudentia & fide temperata, propter quam, inuictissimus Imp. Maxæmylianus, ipsius consilijs & opera, in legationibus & grauissimis Imperij negocijs, sæpiissimè usus est.

Nec quisquam hoc tempore Imperatori familiarior est RICARDO STRENIO, Barone in Suartzenaw, cuius ingenium & doctrinam excellentem, stemmata gentium Romanarum, ex omni antiquitate eruditè concinnata, & nuper Venetijs recusa, demonstrant. DAVIDEM VNGNAD, Baronem in Sonnick, (qui Imperatoris nostri Oratorem, Constantinopoli, in aula Turcica proximè egit,) doctrina & virtus Heroica, non minus, ad posteros, quam familiæ antiquissimæ splendor, nobilitabit. Sic ut paulò antè, æternam posteritatis memoriam, SIGISMUNDVS Baro ab Herberstein, editis legationum suarum, & Historiæ Moscorum commentarijs, sibi comparauit.

Nec præterire in hac commemoratione debo, patrem meū SIGISMUNDVM LVDOIUM CVM

CVM Liberum Baronem à Polheim, qui prudentia,  
eruditione, iustitia & fide singulari, patriæ præsidio  
est. Sed veniam mibi iamdudum petendam esse agno-  
sco: quod patriæ dulcedine motus, patriæ tantum, &  
quidem inferioris etiam nobilitatis exempla recito,  
cum de Imperatoribus et principibus, doctrina litera-  
rum excultis, quæ conspectiora sunt, & efficacius ad  
sui admirationem et imitationem audientes impellunt,  
dicere exorsus essem. Vnicum ALBERTI III.  
Archiducis Austriae, qui præter cæteras, mathemati-  
cis artibus, ut patrum memoria, CAROLVS V.  
Imp. præcipue delectatus est, Iudicium de Scholis sa-  
pientissimum adiungam. Qui in deliberatione, de Aca-  
demia Viennensi, dixit: maiores suos, speciosa et am-  
pli monachorum & sacerdotum collegia, & templæ  
condidisse se vero, summæ sapientiae fontem, & ve-  
ram spiritus sancti officinam, SCHOLAM vide-  
licet, condere velle: in qua teneræ & florentis ætatis  
ingenia, ad veram Christi agnitionem, ad ministerium  
Ecclesiæ Dei & Reipublicæ, literis & doctrinis præ-  
parari, erudiri, & excoli possint: et Riuuli veræ Dei  
notitiæ, & omnium humanitatis artium, et cæterorum  
vitæ bonorum & ornamentorum illustrium, in tem-  
pla, curias, ciuitates, & singulorum familias, deris-  
uentur. Id Viennensis Academiæ, anno Christi 1384.  
seu fundandæ primū, seu funditus instaurandæ con-  
silium fuit.

B 3

Dei

Dei beneficio, proximis trecentis annis, vniuersitate hæc  
Archiducum patriæ meæ Austriæ familia, decem, or-  
bi Christiano, summos Imperatores, continua penè se-  
rie dedit. Nam RODOLPHVS, proximo supe-  
riore anno, Ratisbonæ, in regem Romanorum electus,  
decimus est à Rodolpho primo, quem Habsburgens-  
sem nominant: principe laudatissimo, qui sapientia,  
moderatione & fortitudine sua, Imperium Germa-  
nicum, furijs pontificum prorsus debilitatum & spres-  
tum, restituit & recreauit. Huius perpetuæ fere  
continuationis Imperij, in una familia, causam non  
dubito fuisse, Natiuam Bonitatem, Iustitiam, cles-  
mentiam, Moderationem, & penè propriam familie  
Austriacæ Comitatem & Mansuetudinem erga o-  
mnes omnium ordinum homines: (quæ virtus, miri-  
ficam vim conciliandi animos populorum habet, &  
ad sui amorem, & promptam ac voluntariam obedie-  
ntiam flectendi.) Hanc vero natiuam moderatio-  
nem & humanitatem, augeri etiam, & molliorem ac  
suaviorem fieri, studijs doctrinæ & literarum, quæ  
ab humanitate nomen habent, cogito: ut culturæ nobis-  
tum literarum & artium humanitatis: nobilissimos  
Archiduces Austriæ, fastigium istud dignitatis (quo  
cæteris Germaniæ prouincijs, Archiducatus Austriæ,  
tot seculis, antecellit,) debere aliqua ex parte, agno-  
scam.

Nec

Nec verò honestam solum esse, & plenam dignitatis, nobilitati principum & inferiorum ordinum, latine linguae & aliarum doctrinarum cognitionem: sed in summis Reipublicæ negotijs, in comitijs, in colloquijs cum exterarum gentium hominibus, de rebus saepe arcanis, utilem & prorsus necessariam esse, uno & altero nobilissimorum principum Germanicorum exemplo ostendam.

In concilio Costantensi, cum præsentibus omnium exterarum nationum Christiani nominis legatis, omnia in deliberationibus publicis, latina oratione peragerentur, SIGISMUNDVS Imperator, qui sapientissimi patris, & literarum amantissimi, Caroli IIII consilio, in latinis literis eruditus fuerat, saepe conquestus est, neminem ex suis principibus Electoribus, in illo orbis Christiani theatro, esse, qui in deliberationibus, personam suam tueri, & animi sui sensa, latinis verbis, cæterarum nationum deputatis, expōnere absq; interprete posset.

Id domum reuersus, LVDOICVS Elector Palatinus, Philippi avus, saepè retulit: ideoq; senescens iam, latinas literas discere cœpit.

Similis EBERhardi, primi Ducis Virtebergen sis, quem adolescentem, Tutores latinam linguam doceri prohibuerunt, querela fuit: qui, cùm postea conuentus Imperij, et exteris nationes adiret; saepe indignatus suis

suis tutoribus, dixit: Nemini magis opus esse cognitione doctrinæ et linguarum, quam Principibus. Quare cùm literas præcipuum præsidium, & ornamen-  
tum Principis & Reipublicæ esse iudicaret, anno ab  
hinc centesimo, Academiam Tübingersem, (in qua  
Academia, ego, studiorum meorum tyrocinia olim po-  
sui, & studiosorum ordini, primum insertus sum) in  
patria condidit: & LAURENTII MEDICEI, principis Florentini, à quo, Romam profici-  
scens, honorifice exceptus fuerat, sapientiam & gra-  
uitatem iudicij, sèpe prædicauit. Qui, cùm principi  
Eberardo hospiti, omnia, quæ in vrbe & palatio  
Mediceo dignissima spæctatu erant, ostendisset; tan-  
dem præfatus, se postremo loco præcipuum & nobis-  
lißimum καιρήλιον ipsi monstraturum esse: deduxit  
eum in conclave Filiorum: ubi Iohannes, qui Leo X.  
postea dictus est, & Julianus, & patruelis Iulus, qui  
Clemens postea fuit: ab Angelo Politiano præceptore,  
in bonis literis, linguis & historijs instituebantur.  
His carissimis liberis suis, patrimonium omnibus  
gemmae et thesauris, & principatu ipso splendidius,  
videlicet virtutis et doctrinarum decus, se relieturum  
esse dixit: et laudatissimi Principis ALFONSI  
regis Hispaniae et Neapolis, amici sui, apophtega  
addidit. Qui sèpè professus erat, se gemmas et the-  
sauros, et regna aliquot, malle amittere, quam literas,  
quas

quas modicas se scire aiebat, nescire. Idem Alfonsus,  
LIBRVM, & eum quidem apertum, Clypeo & in-  
signibus suis, ac celebri illi symbolo Pelecano, & epi-  
grammati, PRO LEGE et GREGE, appingi pas-  
sim curauit, ut literarum, legum, et artium optimarum  
cognitionem, quæ ex libris peteretur, in primis in gu-  
bernatione necessariam, & à principibus ac regibus co-  
lendam, & defendendam esse iudicaret. Ideo optimos  
Principum consiliarios esse, mortuos dixit: libros sa-  
pientum designans, qui rectissima consilia inquirenti,  
absq; vlla simulatione & adulacione, fidelissimè præ-  
berent. + Principes verò diuites, sine cultu literarum,  
Aureum vellus: & reges illiteratos, asinos coronatos  
appellare solitus est. cumq; ex Hispaniae regibus, v-  
num dicere solitum audiisset, (sicut auorum ætate in  
Germania etiam plerosq; centauros loqui solere acce-  
pimus,) non decere generosum & nobilem virum, esse  
literatum: exclamasse fertur, hanc non Regis, sed bo-  
uis vocem esse.

Sed nihil opus est exteri Regis, quamuis sapien-  
tissimi & optimi, testimonio, cùm domesticis abunde-  
mus. Audio IOACHIMVM I. Electorem Bran-  
deburgensem, cùm in conuentu Augustano, anno 1530.  
Principes regni Croatiae & Illyrij vicini, calamitates  
patriæ suæ, à Turcis vastatæ, graui oratione latina,  
deplorarent, & succurri illis gentibus ab Imperio pete-  
rent:

rent: rogatu cæterorum principum, munus latine respondendi, exteræ nationis legatis, in se recepisse, & grauiter ac splendide commemoratis gentium illarum laudibus, quæ singulari fide & fortitudine, tot annis Turcarum impetum repulissent, bene sperare illos de Imperatoris, & cæterorum ordinum auxilijs iussisse. Ea latine dicendi facultas, quam honorifica & gloria præcipi illi fuerit: omnes intelligitis, præsertim cum ex Episcopis etiam Germanis, qui magno numero ad illa comitia, spe extirpandi nominis Lutherani confluxerant, nemo fuerit, qui Legatum Pontificis, Cardinalem Campegium, excipere latina oratione potuerit: eaq; in re, huius etiam principis politici, facundia latina, vñsi sint.

AUGVSTVM etiam Electorem Saxoniæ, qui præcipuus hoc tempore in Germania Ecclesiarum & studiorum doctrinæ nutritius, & Vindex est: aliquot iam annos in gubernatione versatum, accepi, cum se astante Imperatorem Maxæmylianum, expedite et grauiter cum alio latine loquentem, non intellexisset; accensum cupiditate ardenti cognoscendi linguam latinam, tantos, breui tempore, in ea discenda progressus fecisse, vt mediocrem sibi latina intelligendi, & loquendi facultatem compararit: & filium, Duxem Saxoniæ CHRISTIANVM, in literis latinis fideliter, & accurate institui, per clarissimum Doctorem

Etorem PAVLVM VOGELIVM manda-  
rit.

Veteres etiam Imperatores Germanici, Carolus I.  
Otto I. Conradus II. & alij, in collegijs Ecclesiarum  
à se conditis, Nobiles in vera pietate & literis insti-  
tui, & ad officia ac ministeria, beneficijs adiuncta, ad-  
biberi voluerunt; vt rudem ac feram adhuc nobilitas-  
tem Germanicam, ad amorem pietatis, & reueren-  
tiam erga Ecclesiam & ministerium Euangelij, ad-  
suefacerent, & studiorum doctrinæ autoritatem, apud  
rude vulgus, augerent; ac vt Nobiles Reipub. guber-  
naculis destinati, exculti doctrina & literis maiori  
ysui esse & præsidio Reipublicæ possent.

Hæc nobilissimorum Regum, ac principum sapien-  
tissima de literis iudicia & exempla, omnes generosas  
mentes, ac præcipue in nobilibus familijs natos, ad a-  
morem & studia literarum ardentius complectenda et  
colenda, inflammant: præsertim cum mandatis verbi  
diuini congruant: quod ERVDIRI Iudices terræ,  
& volumen LEGIS diuinæ, quod totius gubernatio-  
nis vitæ priuatæ, & Reipublicæ, in Ecclesia & impe-  
rijs, norma est, nunquam deponi ex manibus præcipit.  
Spero etiam huius Academiæ Scholasticos, nobilibus  
ingenijs diuinitus ornatos, & nobilissimis studijs dedi-  
tos, his mandatis & exemplis, ad diligentiam in discen-  
do, & morum modestia literas ornando, exuscitari.

C 2 Ego

Ego, cùm Rectoris Academiæ munus, mihi à Se-  
natu Academiæ hoc semestri delatum sit, agnoscō sa-  
nè, non solum honorem magnificentum, sed etiam graui-  
simum onus conseruandi & propagandi duas res præ-  
cipuas & maximas in genere humano, quarum custos  
dia Academijs commendata est, videlicet DOCTRINA  
NAM Ecclesiæ & Reipublicæ necessariam, et DIS-  
CIPLINAM seu morum gubernationem hone-  
stam, mihi mandatam esse. Ideoq; LEGES præ-  
cipuè & Statuta Academiæ, (quibus & studia doctrin-  
arum, totaq; docendi & discendi in singulis artibus  
ratio, & Disciplina morum, ac omnes totius admini-  
strationis Academicæ partes, sapienti consilio consti-  
tutæ & sanctæ sunt,) tuenda nobis et exequenda im-  
poni video. Cum autem hanc ætatis & iudicij mei  
imbecillitatem tanto muneri imparem esse sciam: spe-  
ro clarissimos atq; reuerendos Præceptores nostros, in  
tota Academiæ administratione, fideliter mihi, suo  
consilio, præsentia, opera & autoritate præsto futu-  
ros esse. X

Ego, quod à me solo præstari propriè, Deo iuuane-  
te, potest & debet, non modò Leges, de studijs et mo-  
ribus auditorum rectè instituendis, proponere audito-  
ribus, sed ipse eas primus meo loco seruare, & exem-  
plo Pietatis, Modestiae, Diligentiae in studijs, Reue-  
rentiae & Obedientiae erga Præceptores, Temperan-  
tiæ,

tiæ, & cæterarum virtutum, Legibus Dei & Aca-  
demiae conuenientium prælucere, studebo. Digna  
enim vox maiestate regnantis, legibus alligatum se  
principem fateri, inquit sapiens & iustus Imp. Et  
Plato grauissimè scriptum reliquit: Optimam regen-  
di alios rationem esse, non præcipere multa, sed ut ea,  
quæ alios iubes, ipse facere videaris.

Facta igitur mea, non dicta, vos commilitones se-  
qui volo; nec disciplinam & leges modò, sed exem-  
plum etiam à me petere.

Ita officio vestro fungemini, si & in tota studio-  
rum ratione rectè instituenda, ordinem legibus præ-  
scriptum, & à præceptoribus vestris priuatim, ad sin-  
gulorum ingenia & progressus accommodatum, in au-  
scultationibus publicis, lectione autorum priuata, tra-  
Etatione styli, exercitijs memorie, repetitionum, exa-  
minum, & similibus, religiose seruabitis; et morum  
Pietate, Verecundia, Modestia, Sobrietate, et omni  
virtutis officio, literas ornabitis; & mihi Rectori hoc  
tempore vestro, & cæteris præceptoribus vestris, re-  
uerenter obedietis.

Nam vt in exercitu milites oportet sine vlla ex-  
ceptione Ducibus parere; ita conueniebat in hac no-  
stra militia Scholastica, Præceptoribus summa volun-  
tate & studio obsequi. Ut enim in acie, Reipublicæ in-  
terest, ne quis miles recuset imperata facere: ita exi-

C 3 stime-

stimetis & in his studijs nostris, Reipublicæ interesse,  
vt ritè exerceantur. Non enim magis illa militia,  
quæ armis tuetur publicam tranquillitatem, ad Rem  
publicam pertinet; quam hæc nostra, quæ Religione  
& Iure societatem hominum inter se deuinctam, re-  
tinet. Nec minus periclitatur Respublica, si literæ  
non ritè discantur, quam si in acie parum strenuè res-  
gerantur. Ut autem in castris milites, omnibus occu-  
pationibus domesticis omissis, vni militiæ perpetuò  
vacant, cum semper expectandus sit hostis, semper  
obseruandus, ne opprimat imparatos: ita in Acadæ-  
mia ocium habemus ab omnibus negocijs alijs, vt  
Religionem, & omnes Disciplinas Reipublicæ uti-  
les, discamus, quas aliquando ex umbra Scholarum,  
in Solem & puluerem Ecclesiæ & Reipub. profera-  
mus. Scitis Deum esse vindicem aliorum publico-  
rum scelerum, latrocinij, furti & similium. Nam  
magistratus in tanta malitia hominum, non posset co-  
hercere tantam malorum multitudinem, nisi diuinitus  
adiutus. Sic existimate & istos Deo pœnas datus  
esse, qui nullis præceptorum monitis obtemperant. Nul-  
lum latrocinium, nulla furta, sic nocent Reipublicæ,  
vt literarum & morum bonorum interitus. Ideo Pau-  
lus hortatur Timotheum, vt Depositum, bona fide cu-  
stodiat. idem ad vos pertinere sentiatis, debere vos  
hæc studia Religionis & aliarum bonarum Artium  
sum.

summo studio retinere, & Pietate, Modestia, Obedientia & omni virtutis officio ornare. Quod cum absque DEI auxilio feliciter praestare nemo possit, nunc, ut à FILIO Dei, fonte virtutis & doctrinæ salutaris, & summo ac perpetuo omnium piarum Academiarum Rectore, salutaria consilia, & felicem studiorum cursum, & prosperam gubernationem ac successus, pia precatione impetremus: amanter à vobis omnibus peto, ut pro solenni huius Academiæ more, nunc una mecum in vicinum templum eatis, & communi ac ardenti Inuocatione, publicam totius Academiæ, & noui Magistratus, & singulorum discentium salutem, Deo come mendetis.

DIXI.

GENE.



GENEROSO ET ILLV=  
STRI D. IOANNI CYRIACO, L. BA=  
RONI IN POLHAIM ET VVARTEN=burg,  
Magnifico Academiæ Rostochien=sis Rectori. S. D.

**A**udato placuisse viro si maxima laus  
est;  
Quanta erit Aonio laus placuisse cho=ro?

Totq; adeo placuisse locis, ubi clara Lycea  
Pieridum passim splendida dona ferunt.  
Vix te etenim generose Baro vitalibus auris  
Intulit illa tui tam studiosa parens,  
Cum castæ Aonides puero arrisere tenello,  
Et sese cunctis excacuere modis,  
Ut nati ingenium excolerent moresq; venustos,  
Quo patria dignus nobilitate fores.

Non negat hoc ipsum sat testis idoneus Ister,  
Non hoc egregij Cæsaris aula negat.  
Qui videre tibi castas præsto esse puellas,  
Certatim & donis te decorare suis.

Hinc pietas innata tibi est, hinc aurea mentem  
Sophrosyne exornat, Virgineusq; pudor.

Hinc Nymphas constanter amas, & vana Lyæi  
Numina contemnens, nunc quoq; potor aquæ es.

Scili-

Scilicet ingenij atq; animæ sunt pabula lymphæ,  
Quis furor exitio Bacchicus esse solet.  
A quo, Polhemiæ gentis flos inclyte, tutus,  
Perpetua Musas sobrietate colis.  
Quæ comites etiam tibi clari ad pulpita Nicri,  
Teclaq; Sturmiacæ clara fuere scholæ.  
Atq; ibi te, mentemq; tuam, linguamq; disertam  
Vsq; adeo studijs expoliere suis:  
Ut primo visum te miraretur Elister  
Lipsicus, aduentus latus honore cui:  
Atq; vt Leucoreus dignum te crederet Albis  
Cui daret Aonij sceptra ferenda gregis.  
Nunc quoq; ceu tanto dignum te censem honore  
Varnus Mænaliæ vita vigorq; Rhodi.  
Sis saluus generose Baro: latare beatis  
Ominibus, toties quæ duplicata placent.  
Det Deus, vt quondam maiori illustris honore  
Danubij ad patrias ingrediaris aquas:  
Musarum tamen & Roseæ non immemor illic  
Palladis, ex animo quæ studioſa tui est.  
Interea hic sceptris felicibus vtere felix,  
Iuraq; tam laceræ salua tuere scholæ.  
Innocuos defende libens, compesce nocentes,  
Sit memor officij te duce quisq; sui.  
Doctores doceant, illos audire minorum  
Sit cura, & studijs inuigilare labor.

D

Sit pe=

*Sit pestis procul atq; fames te sceptr'a tenente,  
Aut si quid studijs plus nocuisse queat.  
Diffugiant hinc ignau'i sine pectore ventres,  
Innumeris fucis vnica præstat apis.  
Deniq; quid melius cunctis optauero, quam grex  
Ut regi similis sit bonitate suo?*

**GENERO SAE**

**MAG. T.**

*obseruantiss.*

**NATHAN CHYTRAEVS.**

**GENE=**



GENEROSO ET ILLV-  
STRI DOMINO, D. JOHANNI CY-  
RIACO LIBERO BARONI IN POLHAIM  
& Vuarzburg, Academiæ Rostochiensis Reo-  
ctori, Gratulatio scripta à  
JOHANNE FREDERO.

**P**ximum patriæ decus et laus inclyta terræ,  
Præsidiumq; potens, & fulcrum nobile  
vitæ,

Heroes fulgent, claro qui stemmate creti,  
Iustitiam, leges, pietatem, rectaq; facta  
Ingenuasq; colunt ornantq; fideliter artes.

Talis in Austriacis heros celeberrimus oris  
Splendida magnanimæ Baro laus & gloria gentis  
IAN CYRIACE parens MAXÆMILLianus auita  
Excellens virtute tuus post funera viuit:  
Quem tenero Cæsar MAXÆMYlianus ab ævo  
(Quo cum præclarè doctas est ductus ad artes)  
Dilexit meritis præstantem & fortibus ausis.

Talis & Herois prælustribus indole Natus  
Fratribus HOFMANnis iam gaudet Stiria, gaudet  
Austria: qui patriæ fulgentia lumina terræ;  
Consilio sapiente, fide, virtute, Camænis,  
Iusticia, eloquio, grauitate, & rebus agendis  
Egregij Proceres, æterna laude vehendi.

D 2 Nobis

Nobilis ingenio, doctrinarumq; bonarum  
Arte SIGISMVNDS viguit baro, nobile stirpis  
HERBERSTEINI acē lumen, qui mille viarum  
Quas Legatus ijt fausto pede, sydere fausto,  
Moscorumq; simul claras in luminis auras  
Edens historiam sibi cunēlis nobile sēclis  
Nomen, virtutis calamiq; nitore paravit.

Taliss et HENricus, quo STArenbergia splendet  
Stirps generosa, Baro, decus ingens, lausq; suorum,  
Excuius nituit bonitas Heroica vultu,  
Et nativus amor summæ virtutis & æqui:  
Qui magnus magni Legatus Cæsar is ampla  
Acta, fide summa iuuit summoq; labore.

Talis & Herois specimen prælustre RICHardus  
Stemmate STReinorum fulget Baro, carus Achates  
Præsidis imperij, virtute, fideq; decorus,  
Et dulci morum Venere, ingenioq; sagaci,  
Antiquis magna qui dexteritate libellis  
Elicit in lucem Romanæ stemmata gentis,  
Notitia rerum felix & flumine linguae.

Sic patriæ est columen, patrijs legatus ab oris  
Cæsar is orator, Turcæ præclarus in aula,  
Heros magnanimus, cui stirps VNgndia nomen,  
Regis Iessei cognomen fata dederunt,  
Gratia quem morum, doctæ quem gratia linguae,  
Et virtutis bonos illustri laude coronant.

Sic Ba-

Sic Baro magnorum decus et laus ampla Baronum,  
Mente, SIGISMUNDUS, pollens LVDOICUS, & arte,  
POLHAIMÆ gentis columnen, patruelis, in omni  
Virtutum officio, tuus, eloquioq; celebris  
Præsidio terræ est ornamentoq; perenni.

Talia qui patriæ Heroum vestigia felix  
Ingrederis generose Baro, flos aureus æui es,  
Gloria, splendor, bonos patriæ, qui maxima vitæ  
Ornamenta paras tibi pulcro in flore iuuentæ.  
Ingenium natura tibi mansueta beatum  
Egregiæq; capax tribuit virtutis & artis,  
Et magnis aptum rebus patriæq; saluti:  
Nobile quod sacris Musarum dotibus ornas  
Verè nobilibus vereq; illustribus ausis:  
Hæc tua cura, tuus labor, hæc tua summa voluptas,  
Te Nicer & Rhenus te vidit Elyster & Albis  
Sacra nouenarum seellantem castra sororum:  
Quarum sceptra tibi cum magna credita laude  
Felix gesisti: Pietas te læta patrono,  
Et Themis aurata fulgens circumdata veste,  
Et Phœbi & celebres viguerunt Palladis artes,  
Pulcra tuo posuit virtus in pectore sedem,  
Nobilitas morum claro cum stemmate certat,  
In te Sophrosyne nitet ut Venus aurea cælo:  
Non Cereris Bacchiue tibi, sed pocula lymphæ.  
Mirificè mentes ad se trahit inclita virtus,

D ; Inflam-

Inflammatisq; sui sincerum dulcis amorem.

Hinc tibi iam Clarij quoq; tradit in vrbe Rosarum  
Sceptra chori, reuerenda patrum, procerumq; corona  
Aönidum Varni ad ripas cultumq; fluentum,  
Quod felix faustumq; tibi sit & utile Musis.

Gratulor illustri tibi de virtutis honore  
Docte Baro, generose Baro, carissime Musis:  
O te felicem, quem non pudet ordinis huius,  
Militiaeq; sacræ, quam multi stemmate celso,  
Pectore prudenti, summa virtute celebres,  
Imperijs proceres, vultu gessere sereno.

Vnius hic tantum mihi fiat mentio, nostras  
Qui patria semper fouit bonitate Camænas,  
Quem nulli ingenio nulli virtute secundum  
Abstulit atra dies: hic multi vidimus illum  
(Aureus interea nec sol bis finijt annum)  
Heroem doctis pariter considere Musis,  
Natorum illustri & procerum comitante corona.  
Salve care Deo princeps, decus addite cœlo,  
Inclyte IOHANNES ALBERTE nitentia cernens  
Sydera sub pedibus, qui fulges syderis instar  
Sydereos inter proceres regesq; beatos.  
Aonides iuueni tibi Palladis arma gerenti  
Palladiæ vnanimes sacra sceptra dedere cohortis,  
Odera ceu testis Clarijs uberrimus vndis:  
Vnde solo rediens patrio optatissimus, ornas

Temo

Templa, Scholas aperis, das leges, iura tueris,  
Grata Rosas inter doctis facis ocia Musis,  
Vnanimi fratris consensu operaq; fidelit  
Principis VL RICI, qui præstantissimus heros  
Fecit & hæc eadem generoso pectore seruat,  
Augusta grauitate potens sceptroq; verendus,  
Immortale decus patriæ lumenq; suorum.

Vera hæc nobilitas illustribus inclyta factis,  
Non fastu, non diuinitijs, non deside luxu,  
Sed magnis crescens meritis, quibus omnia crescunt,  
Aoniæq; Scholæ cultrixq; Ecclesia Christi,  
Innumerisq; bonis felix Respublica floret:  
Cum proceres iusta populos ratione gubernant,  
Virtutumq; nitent exemplum illustre piarum,  
Et præeunt rectè faciendo ciuibus ipsi.

Hic modus, hæc ratio pulcherrima lexq; regendi est,  
Quæ fieri à cunctis volumus, faciamus vt ipsi.

Maëte Baro, virtute tua, maëte indole, morum  
Exemplumq; nitens illustre decusq; iuuentæ.

Maximus ingenij præses rectorq; supremus  
Disciplinarum, fons vitæ, regula morum,  
Rectorem Rosei moderantem sceptra Lycei  
Te regat, & Pylios florentem seruet in annos,  
Nobile nobilium lumenq; decusq; Baronum.

INCL Y.

INCLYTO ET GENERO-  
SO DOMINO, D. IOANNI CYRIACO,  
LIBERO BARONI IN POLHAIM ET VVAR-  
tenburg, &c. doctrina ac omni virtutum genere  
ornatissimo, celeberrimæq; Academiæ vr-  
bis Rosarum Rectori ma-  
gnifico.

I Nter honoratos qui viuit honoribus  
auctus,  
Ornatusq; sui dotibus ingenij:  
Hunc non immerito cuncti venerantur, & ornant,  
Atq; inter reliquos numinis instar amant.  
NNam quamuis laus est præclara, parentibus ortum  
N Nobilibus longum posse referre genus:  
E Et tamē hoc maius decus et laus; quando parentū  
S Sana solet laudem vincere posteritas:  
C Cumq; illam exornant simul utraq; vera at auorum  
I Integritas, nec non integritas propria.  
R Rectè igitur CYRIACE tuis, hæc, inclyte, factis,  
I Ingenioq; tuo præmia digna refers.  
A Aonij quod nunc tibi docta Roseta Lycei  
C Commendant promptis sceptra decora animis.  
V Ut ferias fontes, rectos tuearis, & omnes  
S Sacratos Musis officij admoneas.

Lex

Lex duce natura non est incognita nobis,  
Ingridimur iustas qua monitrice vias.  
Blanda Dei bonitas tamen hanc repetiuit, ut esset  
Erroris nostri certior admonitrix.  
Reges præterea custodes addidit illi,  
Barbaricos mores vt prohibere queant.  
Atq; pios proprio decorauit nomine reges,  
Regnaq; diuina cuncta tuetur ope.  
Officium terris his vt cælesti ministrent:  
Intrepidaq; vetent vt scelus omne manu.  
Nomen habes illud R<sup>E</sup>C<sup>T</sup>O<sup>R</sup>is, nobile nomen,  
Propter virtutem nobiliusq; geres.  
O ergo iuuenum cætus, o nobilis ætas,  
Legitimum hunc vitæ tu venerare ducem.  
Humanas etenim vitiant mala semina mentes:  
Affectus rapiunt præcipitantq; mali.  
Indidit id circò sapiens regnator olympi  
Mentibus, vt videant quæ bona, quæ mala sint.  
Eligit ac ; quorum vitæ ceu regula vita est:  
Talibus & LEGES Armaq; ferre dedit.  
Vt leges hominum mores vitamq; gubernent,  
Vt frænent validis viribus arma malos.  
Ac his in tanto conamine, subdita turba  
Rursus vt obsequium præstet, ametq; iubet.  
Tartareis etenim pænis ac sulphure dignus  
Est, temerè leges qui violare solet.

E      Non


N Non restata, diu non pax sine regibus esset:  
B Bella, rapina, latro, furtar timenda forent.  
Vt res tuta, diu pax vt sit, vitaq; felix,  
R Reddimus hoc merito legibus atq; D E O.  
G Grates ergo Deo dentur, reuerentia legi,  
Rectori obsequium, Pieridumq; choro.

Christophorus Sturtziades  
Liuonus.



11









153187

X 2203992

Sto.





B.I.G.

Farbkarte #13



6  
ORATIO  
HABITA A MAGNIFI-  
CO ET GENEROSO DOMINO, DN.  
IOHANNE CYRIACO,  
LIBERO BARONE IN POLHAIM ET VVART-  
tenburg &c. cum Academie Rostochiensis Re-  
ctor publice renunciaretur. Postridie  
Lucæ Euangelistæ Anno  
1576.



ROSTOCHII  
*Excudebat Iacobus Lucius*

Anno 1576 D LXXVI.

